



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XLII. Vtrum secunda Persona Trinitatis sit Filius; Tertia verò non sit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

nis autē talis perfectio est distincta virtualiter intrinsecē ab omnibus relatiuis, vt liquet ex quæst. præced. Et sub his terminis admittitur indubitanter ab omnibus Theologis. Id autem, à quo aliquid est, eo modo est prius, & principium, quo modo est distinctum ab eodem. Ergo Diuinitas, quæ per se ipsam est a seitas, estque simul per se ipsam distincta virtualiter intrinsecē ab omnibus relatiuis, quæ sunt realiter Ens à se, ideoque sunt ab a seitate; seu existunt realiter vi a se itatis, est id, à quo procedunt virtualiter intrinsecē omnia relatiua.

Art. 2. Confirmatur rursus. Quia nullus ex Theologis asserentibus identitatem realem adequatam terminationum liberarum Dei cum ipso, & distinctionem virtuales intrinsecas earum à Diuinitate, in dubium vnquam reuocauit, quod eadem terminationes procedant virtualiter intrinsecē à Diuinitate. Nihil autem illis conuenit, quod ad rationem processionis huius virtualis intrinsecas pertineat, præter eas, quæ notata sunt in essentia respectu relationum ad intra, nempe esse indistinctas realiter, & distinctas virtualiter intrinsecē ab essentia, atque essentiam esse priorem ipsis virtualiter intrinsecē, quatenus essentia est identificabilis cum vtralibet ex terminationibus liberis inuicem oppositis, & impossibilibus, ideoque non inferentibus se mutuo, vel non mutuo, sed potius excludentibus se mutuo, ac proinde ab vtralibet ex illis valere consequentiam ad Diuinitatem, cum vice versa non valeat consequentia à Diuinitate ad alterutram ex ipsis determinatè sumptam. Quæ omnia conueniunt etiam suo modo relatiuis ad intra. Eadem igitur ratione, qua terminationes liberæ procedunt virtualiter intrinsecē ab essentia, & ab a seitate Diuinitatis propria, procedunt etiam ab eadem, eodem modo, prædicata omnia relatiua ad intra, atque idēd, & Paternitas. Hanc doctrinam illustrat, quampluribus subtiliter ac mirabiliter de more P. Antonius Perez tota disp. 2. de Trinit.

Art. 3. Quapropter, quod dicunt D. Dionys. c. 2. de Diu. nom. ad med. August. lib. 4. de Trin. c. 20. ad med. alique plures SS. PP. & communiter Theologi cum fundamento in Conc. Flor. sess. 23. ad med. apud Montoyam d. 48. de Trin. sect. 5. à *Diuinis scripturis accipi Patrem, esse fontem, seu fontanam Diuinitatis*, vt loquitur Dionys. *Patrem esse totius Diuinitatis Principium, & auctorem*, vt dicit August. *esse fontem, & Principium totius Deitatis*, vt pronuntiat Eugen. IV. in litteris vnionis ad med. Hoc, inquam, accipi non potest, ob rationem modò datam, de Diuinitate secundum se, & prout significat præcisè naturam Diuinam, eandemque completitur. Accipitur ergo duplici alio sensu. Primo nimirum, in sensu collectiuo, cuius dictum est qu. 38. ab art. 1. r. esse capacem Diuinitatem, ita vt supponat pro vniuersitate Personarum, maxime adiuncta sibi particula *totæ*, quæ adhibetur in citatis testimoniis. Subintellecta autem ista oppositione, perinde est dicere. Patrem esse Principium totius Diuinitatis; atque dicere Patrem esse Principium totius Trinitatis. Hoc autem secundum est verum, vt sonat, licet Pater, qui includitur in ipsa Trinitate, tanquam vna eius Persona, non sit Principium sui. Nam & vnus de populo dicitur Rector totius Populi, licet non sit Rector sui. Accipitur nimirum locutio cum distributione accommodata. Ita exponit D. Thomas. q. 39. ar. 5. ad 6. Alter sensus est, quod Pater sit Principium totius Diuinitatis, non quidem producendo ipsam Diuinitatem, sed solum eam communicando Personis productis, ex vi productionis ipsarum, quæ propterea dicuntur Deus de Deo. Quod etiam tradit ibid. D. Thom.

Art. 4. Exercet autem Pater rationem Principij

productiui erga reliquas duas Personas, virtute Diuinitatis, seu essentia Diuina: ita vt Pater sit Principium quod Filij, & Spiritus sancti: Diuinitas verò principium quod, tamquam virtus, & ratio fecunditatis; & Paternitas Principium itidem vt quo, tamquam actio, seu origo actiua, & vltima determinatio productiua. De Principio quod, & de principio quo, vt actione, constat ex q. 39. neque verò de principio quod, est vlla controuersia inter Theologos. Verum neque de Principio quo, vt actione, potest esse vlla controuersia, præterquam purè vocalis, vt patere satis potest consideranti, quæ dicta sunt in illa questione. Quod autem Principium quo, vt virtus, & tota ratio fecunditatis ad intra, sit sola Diuinitas, quatenus perficiens modo quodam determinato vnquamque Personam producentem, duo sunt, quæ efficaciter persuadent. Alterum est, infinitam perfectionem, quæ tota est penes Diuinitatem, esse rationem adequatam, & vnicam, ob quam dari possunt in Deo prædicata realiter inter se distincta, id est, vt liquet ex quæst. præced. initio, quorum alterum ab altero realiter procedat; id quod demonstrat clare tota q. 38. Ergo tota ratio, ob quam vna Persona potest realiter producere aliam Personam, est Diuinitas, & infinitas perfectionis, quæ inest formaliter Diuinitati. Tota autem ratio obiectiua, & perfectio, ob quam aliquid potest producere aliquid aliud, est tota, & sola virtus productiua. Ergo sola Diuinitas est tota virtus productiua propria Personarum.

Art. 5. Alterum est, Diuinitatem esse Principium, à quo sunt virtualiter intrinsecē omnia Personalia, vt paulo prius ostensum est. Ergo Pater accipit ab Essentia determinationem ad producendum, per quam constituitur in ratione Patris, & distinguitur à secunda, & tertia Persona. Id autem ratione cuius aliquid determinatur ad producendum, & habet in se actionem productiuam, est virtus productiua ipsius respectu termini realiter producti ab eodem. Ergo essentia est tota virtus productiua Patris respectu Filij, eademque est ratio de vtroque respectu Spiritus sancti, seu de spiratore. Confirmatur; quia Pater est productiuus Filij, in quantum intelligens, & vterque est productiuus Spiritus sancti, in quantum volens, vt dicitur in quæst. sequenti. Tota autem ratio intelligendi, & volendi, est essentia Diuina, vt patet. Ergo eadem est tota ratio producendi, vt virtus, & sufficientia ad producendum. Nec tamen propterea essentia Diuina distinguit se realiter à Personis productis. Quia essentia Dei non est virtus, vt ipsa per se ipsam producat, sicut accidit in creatis: sed est virtus communicata alteri formalitati tantundem, atque sibi, iuxta dicta supra, vt hæc alia formalitas producat immediatè se sola. Ex his itaque patet, quo sensu, & quo modo prima Persona sit, & quo non sit Principium, & fons totius Diuinitatis; & cum qua distinctione satisfiat rationi dubitandi.



QVÆSTIO XLII.

Vtrum secunda Persona Trinitatis sit Filius; Tertia verò non sit?



IDE ET VR neutram esse Filium, vel si est altera, esse vtramque. Quia de ratione Filij est, vt sit similis Patri, quatenus producit à Patre, prout est similis homo productus, homini producenti. Persona autem Diuina, quatenus producta: & quoad omnia

omnia relatiua, penes quae sola datur productio realis, sunt adaequate dissimiles producentibus dissimilitudine coniuncta cum oppositione mixta adaequata, ut dictum est supra, atque adeo sunt dissimiles dissimilitudine summa. Quod si nihilominus ratione naturae omnibus communis dicatur saluari aliquo modo similitudo, quae est de conceptu filiationis, utraque Persona procedet ut Filius. Quia utraque Persona procedens accipit eandem naturam Diuinam per Processionem, eaque de causa dicitur de utraque, quod procedat Deus de Deo; id est, cum perfectissima eatenus similitudine inter producentem, & productum.

Art. 1. Resp. Certum est ex fide, secundam Personam Trinitatis esse filium, & eius processionem esse generationem propriam, & strictè talem, atque Natiuitatem; & nihil horum conuenire tertiae personae. Ita definitur in Primo Concilio Niceno, & Constantinop. & Ephesino, & primo ac Vndecimo Toletano in symbolis, & Confessionibus fidei. Deinde Christus Dominus tuetur suam praeter ceteris hominibus excellentiam propriam Diuinitatis, Matth. 22. 43, & Luc. 20. 42. Ex illo psal. 109. 3. *Ex utero ante Luciferum genui te.* Et similiter Petrus, & Ioannes act. 4. 24. Nec non Paulus ibid. 13. 33. accipiunt de eadem secunda Trinitatis Persona, psal. 2. praesertim vers. 7. *Filius meus es tu; Ego hodie genui te.* Nimirum generatione aeterna, cuius hodie nunquam transit, estque semper vniuersimodè praesens, ex dictis quaest. 8. Et rursus generatione, non quae praesupponat subiectum, quia connotatione potius dicenda esset creatio, & dicitur nonnunquam, processio secundae personae, eodemque iure dici posset Processio tertiae Personae; sed generatione, quae suum Principium denominat Patrem, & terminum productum, denominat Filium. Quo sensu, secunda Persona Trinitatis, quae est Verbum Diuinum, bis dicitur Filius Vnigenitus c. 1. Ioann.

Art. 2. Generatio hoc secundo modo sumpta definitur communiter cum D. Thoma quaest. 27. art. 2. ex Philof. 7. Metaph. c. 8. Ethic. c. 12. *Origo viuens a Principio viuente coniuncto in similitudinem naturae.* Ratio originis, quae viuens a viuente procedit, est communis secundae, & tertiae Personae. Est itidem utrique communis coniunctio cum Principio, à quo procedunt, eaque multò maior, quam quae reperitur in generante, & genito creatis, ut pote coniunctis per solam partem substantialem materiae, decissam à generante, & intrinsecè constitutiuam geniti. Quia secundae, & tertiae Personae est communis cum prima Persona per identitatem realem naturae Diuinæ, quae est à se in omni genere causae, scilicet formalis, finalis, & efficientis; ideoque est summè ab intrinseco, & consequenter est maximè omnium, & infinire viuens, & est ratio, ut maximè omnium, atque infinite uiuant Personae Diuinæ, uti concludit optimè, & profundè considerat D. Thom. q. 18. art. 3. Cetera namque omnia habent aliquid ab extrinseco plus minus iuxta gradum perfectionis, & imperfectionis, quae inest unicuique generi, & speciei substantiarum mouentium se ab intrinseco. Gradus autem perfectionis in conceptu vitae & viuents, fundatur in gradu perfectionis, & sufficientiae motus ab intrinseco, & est conuertibilis cum eodem, ut patet ex communi definitione vitae & viuents: *quod mouetur ab intrinseco, motus ab intrinseco.* Quia verò natura Diuina simul est virtus, vi cuius redduntur sufficientes ad producendum Personae Diuinæ, quae producant, ut dictum est in quaest. praeced. Patet coniunctionem secundum naturam, seu Diuinitatem esse formaliter, & non tantum identicè, coniunctionem secundum rationem principij producentis.

Art. 3. Differunt ergo secunda, & tertia Persona, earumque origines, quoad solam ultimam particulam similitudinis naturae. Differunt verò quoad hoc dupliciter. Primo nimirum, quia secunda Persona est perfecta, intentionalis, simulque substantialis imago Personae producentis. Secundo; quia eadem est fecunda, & productiua ad intra, sicut prima Persona. Vtroque isto titulo, & utrouis, Pater communicat Filio omnia, quae praehabet, praeter esse Patrem, iuxta illud Io. 16. 15. *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt.* Ex quo testimonio definitur ab Eugenio 4. in fine Concilij Florentini, in literis vniuersionis, ad med. *Omnia, quae Patris sunt, ipse Pater vniuerso Filio suo gignendo dedit, praeter esse Patrem.* Neutrum illorum duorum, neque hoc tertium, quod inde consequitur, conuenit tertiae Personae. Totum discrimen fundatur in processione secundae Personae per intellectum, & tertiae per voluntatem. Secunda namque Persona, per suam proprietatem Personalem, est intellectio passiva constituens formaliter in esse intellectus passiuè omnia obiecta, respectu quorum constituuntur intelligentes actiue omnes tres Personae, ipsaeque essentia Diuina, seu Deus per intellectionem absolutam. Eodem proportionaliter modo constituuntur per Spiritum sanctum in esse amati passiuè omnia obiecta, quae amat Deus actiue per amorem absolutum. Nempe de conceptu naturae intellectiuae est, ut per suam primam operationem constituatur in ratione intelligentis, atque ut intelligendo det quoddam esse intellectus, ac dicti obiecto, quod intelligit. Quod esse intellectum, ac dictum, nomine verbi, & imaginis significatur. Respectu amoris passiuè, nulum inditum est nomen similiter peculiare; sed dicitur amor notionalis, & Spiritus sanctus, Spiritus quidem, quia amor est quodammodo communis cum spiritu materiali impetus quidam, atque impulsus in rem amatam. Sanctus verò propter Sanctitatem naturae Diuinæ sibi essentiali, & quia sanctitas in amore Diuinitatis formaliter, & actualiter consistit.

Art. 4. Duo istiusmodi conceptus intellectionis actiuae, & passivae, non distinguuntur inter se realiter illo modo in intelligente creato. Quia intelligens creatum intelligit actiue intellectione realiter producta, ideoque constituit obiectum in ratione dicti ac intellectus, non minus, aut aliter, quam summa Principium in ratione intelligentis; idque non solum grammaticaliter per denominationem purè extrinsecam respectu obiecti, sed etiam immanentem, per denominationem verè intrinsecam intelligenti, & physice informatiuam ipsius. At Deus intelligit actiue intellectione improducta. Vnde ut dicat sibi obiectum, quod intelligit, utque habeat in se imaginem eius, necesse est, ut producat intellectionem purè passiuam, quae, quatenus producit à principio intelligente, & dicente, atque exprimente sibi, quod intelligit, habet rationem Verbi; & quatenus producit ad instar Principij producentis, ut repraesentet illud, prout est in se, habet rationem imaginis, respectu eiusdem principij. De Conceptu namque Verbi, & Imaginis est, ut producat. Nec enim Verbum propriè esse potest, ubi non est dictio propriè talis; nec dictio propriè talis esse potest absque productione exercita à dicente. Similiter est de Conceptu imaginis, ut producat ad instar prototypi. Quapropter Deus neque Verbum, neque Imaginem haberet apud se eorum, quae intelligit, ac praesertim sui ipsius, nisi produceret in se intellectionem eiusmodi passiuam, ac proinde nec esset intelligens adaequate, & completè. Hac igitur de causa necesse fuit, ut in Deo daretur Verbum productum, utque ipsum esset prima operatio realis intra Deum. Hinc secunda Persona

Persona Trinitatis dicitur Verbum, primo Ioann. 1. *In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, & 2. ad Corint. 4. 4. Atque alibi non semel, dicitur *Imago Dei*; qua de re videri potest locuples, multiplex eruditionis illustratio, & confirmatio apud Montoyam disp. 64. de Trinitate, sect. 3. & 4.

Art. 5. Principium porro productivum Verbi humanus, imaginisque Divinae, est prima Persona, quatenus fecunda ad producendum per intellectionem absolutam, & quatenus constituta per eandem in ratione intellectus notionalis. Intellectio etenim absoluta, ut contracta ad primam personalitatem, dicitur intellectus notionalis, id est, intellectus pertinens ad constitutionem, & inde ad discernibilitatem unius Personae seorsim, nempe primae. Prima namque operatio naturae intellectualis, est intellectio, ac proinde primum operativum est intellectus. Tale autem principium, nequit esse in Deo intellectus absolutus secundum se; cum sit de ratione Dei, ut identificetur realiter cum omnibus, quae sunt in Deo, & consequenter; non sit secundum se praecise, & secundum praedicata absoluta pertinentia ad conceptum Divinitatis, principium realiter productivum vltius praedicati Divini. Primum itaque realiter operativum ad intra in Deo, est intellectus notionalis, seu Personalis modo dicto.

Art. 6. Patet igitur secundam Personam Trinitatis esse Imaginem, & similitudinem primae Personae, productam ab eadem prima Persona ad instar sui, utque ipsam representet. Est autem imago, & similitudo imprimis substantialis. Quia est realiter identificata cum natura substantiali producentis. Quod non convenit, nec fieri potest, ut conveniat vlli intellectioni creatae, de quo alibi. Deinde est perfecta, atque adaequata imago, & similitudo. Quia procedit ab intellectu comprehensivo Divinitatis operante, quantum potest; vtpote operante per modum naturae, & non per liberam electionem. Unde representat passivum, quidquid, & quantum representat activum intellectio absoluta Dei; id est, representat comprehensivum omnia praedicata necessaria Dei, & consequenter etiam creaturas quatenus possibiles. Neque enim fieri potest, ut procedat ex cognitione absoluta comprehensiva Divinitatis, atque ipsam representet comprehensivum, quin simul procedat ex cognitione possibile, eademque representet, uti apparet clare ex dictis q. 16. & q. 36. Ex quibus locis apparet praeterea, non opus esse peculiarem, ea de re quastionem in praesenti instituere, sicut nonnulli faciunt, actum agendo, vel quia prima vice non egerunt idonee. Similitudini autem, & substantiali, & adaequatae (id est, qua maior excogitari nulla potest) inter viventem productum, & producentem cum mutua utriusque coniunctione iam explicata, quoad naturam, nihil deesse potest, quo minus sit generatio propria Patris, & Filij. Quia eo ipso convenit illis definitio data generationis; ita ut excogitari non possit modus perfectior, aut adaequatio illam verificandi. Ergo secunda Persona est Filius primae, & prima est Pater secundae, summa cum proprietate, & rigore. Quia vero ea similitudo penitus deest tertiae Personae; cum non sit de ratione amoris, ut sit imago, & similitudo obiecti amati; patet nullam esse consequentiam ad filiationem eius, ex filiatione secundae Personae, atque absolute eandem tertiam Personam non procedere, ut Filium, ob defectum similitudinis, quoad rationem substantialem productam. Tota haec doctrina, ut iacet, praesertim quoad illud, quod praemissum est, tanquam fundamentum ceterorum, de intellectione, & amore passivis, docetur luculen-

ter à D. Thoma 4. contra Gent. c. 19. à medio ad finem, & quod difficile appareat, sitque incomprehensibile ratione naturali, provenit ex discrimine iam notato intellectionis creatae, seductricis quoad hoc naturaliter intellectus nostri, ab intellectione increata.

Art. 7. Altera differentia de fecunditate consequitur ad istam primam, & reipsa coincidit cum ea. Quia omnis amor productus ex suo conceptu habet hoc, ut procedat à Principio intelligente, quatenus intelligente actualiter, & cooperante ipsa intellectione prius producta. Et si quidem sit perfectus amor, adaequans totam amabilitatem obiecti, est vltima operatio ad intra naturae intellectualis, seu est vltima operatio immanens. Tertia autem Persona Trinitatis ex sua proprietate Personali, est amor passivus, seu spiratus, in suo genere perfectus, & adaequatus, vtpote procedens ex amore absoluto, comprehensivo Divinitatis, quatenus perficiente, ac fecundante indivisim primam, & secundam Personam; id est, procedens à voluntate notionali agente, quantum potest, cum non sit locus liberae electioni circa primum, & summum bonum secundum se, praecognitum perfecte, & comprehensivum. Unde voluntas notionalis producit amorem notionalem perfecte gaudiosum circa praedicata omnia necessaria Dei, inter quae est possibilitas activa creaturarum, iuxta dicta supra, de qua proinde re non est opus multa disputare, ut notatum est nuper circa processionem Verbi ex cognitione possibile. Ergo tertia Persona procedit à secunda Persona non minus quam à prima Persona, sed procedit eodem prorsus modo ex Patre, Filioque quoad processionem immediatam, licet simul procedat à Patre, etiam mediate; & post istam processionem nulla detur vltiori processio ad intra, cuius principium esse possit eadem tertia Persona. Tamen enim super sint praeterea terminationes liberae intellectuales, & volituae, quibus aequaliter exercentur omnes Personae Divinae, vtpote indivisim dominantes, ac liberae in ordine ad creaturas eadem libertate, & dominatione indistincta virtualiter intrinsece ab essentia Divina, ideoque communi tribus Personis Divinis; sunt tamen Principium tantum virtuale ipsarum, iuxta dicta supra circa naturam actuum liberorum Dei q. 21. & 22. Deinde eadem terminationes liberae non habent, secundum se, conceptum adaequatum intellectionis, & volitionis, aut actus vitalis, ut eodem in loco dictum est, sed solum sunt vltimae determinationes pure denominativae respectu intellectionis, & volitionis necessariae tam activae, quam passivae, ex se indifferentium ad utramlibet partem contradictionis, ideoque capacium solum, quibus adiiciantur respectus ad extra, seu connexiones determinantes ad alteram partem contradictionis. Cessat proinde in ipsis tota ratio fecunditatis ad intra, superius assignata pro fecunditate indistincta ab actibus necessariis secundum se. Nullus igitur est locus vltiori alicui processioni ad intra, cuius Principium esse possit tertia Persona Trinitatis.

Art. 8. Habet itaque secunda Persona fecunditatem ad intra similem fecunditati primae Personae; eademque fecunditate, & similitudine fundata in fecunditate caret prorsus tertia Persona. Huic autem fecunditati convenit, seclusis imperfectionibus, ratio naturae definita à Philosopho per *Principium motus, & quietis eius, in quo est primo, & per se*. Ergo secunda Persona procedit, tanquam similis producenti, non vero tertia, secundum similitudinem in ratione naturae. Ergo secunda Persona procedit, ut genita, & ut Filius, non vero tertia. Ista ratio discriminis traditur à Richardo Victorino lib. 3. de Trinit. c. 11. &

& à c. 18. ad 21. Ab Alexandro p. part. q. 62. memb. 3. art. 2. à D. Bonaventura in primum dist. 21. art. 1. q. 2. & à nonnullis aliis. Sed prior ratio difformitatis videtur præferenda, vtpotè tradita sub illis terminis communiter à Sanctis Patribus, aliisque Auctoribus cum Dino Thoma, vt videre est apud Montoyam disp. 6. de Trinitate à sect. 1. ad 4.

Ad rationem dubitandi. Tota dissimilitudo secundà à Persona prima, est, quod secunda Persona procedit à prima, & non è contra: quod non tollit, sed magis allert rationem Filiationis. De cuius videlicet conceptu est ea dissimilitudo, conueniens quidem extrinsecè, & accidentaliter Personæ creatæ, quæ est Pater, & ei, quæ est ipsius Filius, sed èo magis, ac perfectius conferens in Diuinis ad differentiam propriam Patris, & Filij, quo est magis propria Personæ, quæ est Pater, & eius, quæ est Filius, vtpotè realiter identificata cum ipsis, & quasi quidditatiuè eisdem conueniens. Tertia autem Persona, quod attinet ad proprietatem suam Personalem, quæ sola producit, nullam habet similitudinem cum secunda, & prima Persona, præterquam purè logicam, & reflexam, fundatam in dissimilitudine adæquata vniformi, & quasi genericam, fundatam in ratione Personæ identificatè realiter cum natura Diuina. Ad generationem autem, & filiationem requiritur similitudo inter producentem, & productum, quatenus talia sunt secundum suas rationes peculiare. Alias enim origo non erit formaliter in similitudinem completam naturæ, sed tantum erit materialiter cum similitudine incompleta.



QVÆSTIO XLIII.

Vtrum Spiritus sanctus distingueretur à Filio, si non procederet ab eo?



IDETUR quod distingueretur. Quia si Spiritus sanctus non procederet à Filio, procederet à solo Patre, tanquam à Principio suo adæquato, & infinite perfectio in ratione talis. Ergo acciperet à solo Patre omnia prædicata, quæ accipit de facto à Patre simul, & Filio. Vnumquodque autem distinguitur ab omnibus aliis per omnia, & sola prædicata sua, vnde cumque illa proueniant. Nec enim constitutio cuiusque in se, & distinctio ab aliis, variantur, pro varietate Principiorum producentium, sed solum pro varietate prædicatorum productorum. Ergo Spiritus sanctus distingueretur eodem modo à filio, licet non procederet ab eo, atque distinguitur de facto. Eodem namque modo alter esset imago expressa Patris, & procederet per solum intellectum, alter esset amor spiratus, & procederet per solam voluntatem.

Art. 1. Resp. Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere de facto; Definitum est in Concil. Lateran. sub Innoc. 3. c. 1. vt habetur in cap. *Firmiter*, de summa Trinit. in Lugdunensi sub Greg. 10. vt habetur cap. *Vnic*, de sum. Trinit. in 6. in Florent. post sess. 25. in litt. vniõis sub Eugen. 4. De Processione à Patre, nemo vnquam dubitauit, qui agnouerit Spiritum Sanctum tertiam Personam Diuinam. Processio à Filio colligitur insuper ex missione Spiritus sancti attributa Filio Ioann. 15. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre*. Quia, vt obseruat August. lib. 4. de Trinit. c. 3. alique communiter, & apparebit in quæst. seq. non potest con-

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

uenire missio vni Personæ respectu alterius, nisi ratione originis, per quam Persona missa à mittente procedat, cum cætera sint pares. Procedit ergo Spiritus sanctus etiam à Filio. Procedit autem Patre, & Filio tanquam ab vno Principio, & vterque est vnus Spirator, vt habetur ex iisdem ibidem Conciliis, præsertim ex Florentino, licet sint duæ Personæ spirantes: sicut omnes tres Personæ sunt vnus Deus, licet sint tres Personæ Diuinæ, & tres habentes Diuinitatem.

Art. 2. Ratio huius indiuiduæ Processionis à Patre, & Filio est, quia de conceptu amoris spirati est vt produatur à Principio productio intellectiois, cooperante intellectioe producta, vt nuper dicebatur. Quare Pater, qui est Principium intellectiois productæ, & Filius, qui est intellectio producta, nullam habent oppositionem in ratione producentium immediatè Spiritum sanctum, imò habent talem, quoad hoc, mutuam connexionem, vt nec Pater intelligi possit producere amorem, quin eo ipso intelligatur implicite productio eiusdem amoris per Filium, atque è conuerso: sicut eo ipso quod homo intelligatur producere amorem alicuius obiecti, intelligitur etiam intellectioem productam ab eodem homine influere in eundem amorem: atque è conuerso, intellecto influxu intellectiois in amorem, intelligitur etiam influxus ipsius intelligentis. Hæc causa est, ob quam Christus Dominus expressa processione Spiritus sancti à Patre potuerit abique detrimento veritatis præmittere processionem eiusdem à sua ipsius Persona, dum dicit Ioan. 15. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem Ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*. Quia videlicet eo ipso satis dixit implicite, & virtualiter, quod procederet etiam à se Filio Dei, eodemque Verbo, seu intellectioe producta Patris, cum præsertim prætulisset missionem eiusdem Spiritus per se ipsum Filium Dei, quem ego mittam vobis à Patre, in qua missione includitur origo missi à mittente, vt paulò prius notatum est. Eadem de causa antiquissimis temporibus, sola exprimebatur processio Spiritus Sancti à Patre, subintellecta eo ipso implicite processione etiam à Filio, quousque, ob insurgentes nouas hæreses, opus habuit Ecclesia expressione Processionis etiam à Filio, dicendo. *Qui à Patre, Filioque procedit*; nullum profectò superaddens propterea nouum articulum fidei, sed solum exprimendo distinctius, quod prius dicebatur implicite; quales maiores expressiones aliàs quoque adiecit Ecclesia veteri formula professionis Fidei, pro temporum opportunitate, vt apparet in Synodo Nicæna superaddente Apostolorum Symbolo expressionem istam peculiarem: *Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri*: & in Constantinopolitana similiter adiungente symbolo Nicæno: *qui à Patre procedit*. Sicut enim expressiones istæ duæ peculiare implicite continebantur in antiquioribus formulis Confessionis fidei; ita etiam expressio processionis à Patre, Filioque, continebatur in antiquiori expressione processionis à Patre propter connexionem mutuam vtriusque Processionis, & rationem iam redditam eius connexionis. In Deo autem omnia sunt idem vbi non obuiat relationis oppositio, vt dictum est in q. 40. nec multiplicantur in Personis ea prædicata, penes quæ nulla est earum inter se oppositio, sed loco oppositionis connexio indiuidua, & vniformitas. Virtus igitur spiratiua immediata, & proxima, ipsaque spiratio actiua est vna, & eadem in Patre, & Filio, identificata realiter cum vtroque, & consequenter distinguens vtrumque eadem prorsus ratione, à Spiritu factò, vtpotè productò indiuisim ab vtroque, eodèque prorsus modo, quod attinet ad immediatam productionem,